

TRACTATUS  
DE APPROBATIONE

ET AUCTORITATE DOCTRINÆ  
ANGELICÆ D. THOMÆ.

Intendentes juxta Apostolicæ Sedis vocem, D. Thomæ doctrinam tamquam catholicam, et veridicam sectari, eamque totis viribus ampliari, ab illius approbatione, et examine discipulatum ejus auspicamur; nam ut præclare Ambrosius lib. II de virginibus nos admonet: «Primus discendi ardor nobilitas est Magistri.» Quam sit autem nobile hujus magni, et Angelici doctoris magisterium, etsi nobis tacentibus, universus orbis loquatur, et magnifice, ab ipsa Ecclesia, et summæ Romanæ Sedis pontificibus ejus doctrina commendata sit, tamen quia non desunt, qui calumniarum spicula in ipsum contorqueant, et varias ejus propositiones infragibili curiositate scrutantes, nunc indefensabiles, nunc censurabiles, nunc minus veritati conformes cumulatim undique rationibus exagitent, unde non modice ea quæ tanto doctori reverentia, et affectio debetur, aut decolorari possit, aut obnubilari, rem istam non dissimulandam ulterius, sed vigilantiori disputatione discutiendam, eliminandamque censuimus. Et consolatur nos vehementer in hac parte sanctissimi patris, ac magni Ecclesiæ magistri Augustini exemplum, cujus doctrina simili turpitudine jactata, cum a pluribus post ejus mortem, iisque non parvæ in Ecclesiæ auctoritatis, eventilaretur, in tantum, ut etiam

in erroris notam affingere non vererentur, D. Prosperi, aliorumque piorum ope, disputatione, doctrina, sic æmulantium conatibus restitutum est, ut dissipatis nebulis, et effulgata caligine, feliciter tanti solis jubar e densa illa contradicentium nube radiaret. Non potuit hoc deesse divi Thomæ doctrinæ, ut per omnia Augustini vestigiis, etiam dum premitur, insisteret; non possumus, et nos in simili sollicitudine positi non efflagitare opem e D. Prosperi verbis, quibus causam Augustini agens, eidem D. Thomæ patrocinium singulariter exhibuisse videtur. Sic enim ait in ipso fere initio libri contra Collatorem.

«Non est negligendum hoc malum, quod ab occultis pravisque seminibus augetur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distenditur, sed studendum est in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex ipsa injuriæ magnitudine quam in uno cunctis, ac præcipue Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis, et parum cautis excellentioris scientiæ indicantur, et misero perversoque successu, facilem mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi, præsumptione pepereunt. Nec enim cum sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicii, in superflue querelæ

conclamationem potuisse prorumpere, ac non potius magno ingenio et vehementi studio laborasse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensi, censura nunc districtior, et inspectio sagacior inveniret quod ante securus favor, et benignitas incuriosa non viderat. Unde ergo hæc diligentia tam veri examinis? Unde in hanc auctoritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat si catholico prædicatori notam erroris affigat? Quasi incognitum aliquod opus impetatur, ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit.»

O si hæc attenderent, qui tanta anxietate ad hoc incumbunt, ut doctori sancto alicujus notæ maculam, aut fuliginem indefensabilis, erroneæ doctrinæ possint aspergere! Quæ enim his morsibus laniatur doctrina? Nisi illa de qua Apostolica Sedes per os Pii V æternæ, et sanctæ memoriæ Pontificis in bulla festivitatis ejus, magnum illud protulit elogium: «Quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici doctoris vi, et veritate doctrinæ ex eo tempore quo cælestibus civibus adscriptus fuit, multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ, et convictæ dissiparentur.» Et item Paulus Papa V in bulla ad Neapolitanos: «Splendidissimi fidei athletæ B. Thomæ Aquinatis, cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia, hæreticorum tela feliciter elidit, honores et venerationem in dies magis, magisque augeri plurimum in Domino gaudemus.» Non ergo tolerandum est, ut talis tantæque acceptationis doctrina, quam velut cælestis

fulminis vim in hæreticos Ecclesia contorquet, vel minimæ obscuritatis nævo denigretur, sed ut Ecclesiæ filii studeamus quoque; et nos tam splendidissimi fidei athletæ honores, et venerationem in dies magis magisque augere; nec enim defensio doctrinæ Div. Thomæ et vindicatio ejus ab erroribus, et ab improbabilitate sentiendi, est solius privatæ personæ vindicatio, sed totius Ecclesiæ judicii et Apostolicæ approbationis assertio. Quare majus aliquid in S. Thoma quam S. Thomas suscipitur, et defenditur. Quod certe nos efficacius præstituros confidimus si ad normam scholasticæ disputationis, quanta sit hujus doctrinæ in Ecclesia auctoritas ex Apostolicæ Sedis approbatione ostenderimus. Et ideo tractatum hunc in duas dividimus disputationes. In prima ostendemus qualis, et quanta sit hæc approbatio ab Ecclesia facta, et quid juxta illam de doctrina D. Thomæ æstimandum sit. In secunda ea quæ his temporibus Divo Thomæ tamquam indefensabilia, erronea, vel minus tenenda objiciuntur, curabimus diluere.

DISPUTATIO PRIMA.

DE APPROBATIONE ECCLESIE CIRCA  
D. THOMÆ DOCTRINAM.

ARTICULUS PRIMUS.

*Jaciuntur fundamenta totius disputationis.*

Plures sunt qui communiorem Thomistarum consensum in sequendo ad unguem Magistri sui sensu, et doctrina, aut pertinacem mentem censent, aut ut simplicem irrident. Non nova neque recens est censura ista. Brevi post sancti doctoris mor-

tem, Durandus in præfatione ad doctores primum librum sententiarum in hoc violentiam ingeniis inferri voiferatus est: « Compellere, inquit, seu inducere aliquem ne doceat, vel scribat dissona ab iis quæ determinatus doctor scripsit, est talem doctorem præferre sacris doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis, et præstare impedimentum sciendi, et lumen rationis non solum occultare sub modio, sed comprimere violenter. » Ex quo dicto clare colligitur etiam temporibus Durandi, qui fuit plus minus quadraginta annis post obitum S. Thomæ, jam tum fuisse introductum ut multi alligerentur, et adhærent per omnia doctrinæ D. Thomæ, si quidem hoc ipse reprobatur, et de eo conqueritur. Non est ergo hoc novum, nec solum hujus temporis Thomistarum. Proderunt etiam per id fere temporis plures articuli nomine Parisiensis universitatis ad errorem damnati, et sub excommunicationis animadversione prohibiti, quorum, quia videbantur S. Thomæ tangere doctrinam, ideoque non modice ejus auctoritati detrahi, publico edicto a Stephano Parisiensi episcopo cum Concilio, et assensu capituli Parisiensis, archiepiscopi Viennensis, et viginti trium theologiæ magistrorum, et aliorum plurium in quantum tangunt, vel tangere asserebantur sanam Sancti Thomæ doctrinam, recantati sunt, ut ex epistola ipsius Stephani, quæ incipit magistra rerum experientia anno 1325, notissimum est. Quid vero eadem Parisiensis facultas postmodum de auctoritate, et approbatione doctrinæ D. Thomæ senserit in excerptis articulorum contra errores Fr. Joannis de Montesono, postea subjiciemus.

Non est nostri muneris in præsentiarum Durandi placitum, quod multis postea, et novissime plurimi arridet, aut vellicare, aut pre-

mere. Unusquisque in suo sensu abundet (dummodo sensus sit, qui sensatum faciat, non qui improbum) quamquam etiam in hoc præclare non contemnenda ingenia desudarunt, quibus magni, et maturi ponderis visum est illustrissimæ Salmanticensis academix votum de juranda Sancti Augustini et Sancti Thomæ doctrina. Veneramur tantæ universitatis judicium, ejusque defensiones prona mente suscipimus. Sed vehementius nos urget nunc quod disseminari inter multos videmus, et catalogum consarcinari multarum propositionum, quæ D. Thomæ accumulatur tamquam erroneæ, indefensabiles, falsæ aut communiter rejectæ. Eas ex ordine recitabimus sequenti disputatione. Utinam sicut in censurandis his articulis, Parisiensis academix quidam sequuntur judicium, ita in recantandis his quæ approbatam Sancti Thomæ doctrinam tangunt, sequerentur sensum: magna certe nos cura liberarent ut in unam tandem sicut charitatis, ita et intelligentiæ concordiam universorum fidelium corda conspirarent.

#### APPROBATIO DOCTRINÆ

MULTIPLICI MODO FIT AB ECCLESIA.

Ut ergo ad inspiciendam qualitatem approbationis circa D. Thomæ doctrinam, quæ ab Ecclesia facta est, viam paremus, illud oportet præmittere, non uno modo Ecclesiæ approbationem, et commendationem circa doctrinam dari. Triplicem agnovisse videtur facultas Parisiensis in excerptis articulorum supra citatis. Primo, quod Ecclesia doctrinam aliquam tamquam utilem, et probabilem evulget. Secundo, quod tali modo doctrinam aliquam approbet, quod in omni sua parte sit vera. Tertio, quod saltem

ita sit approbata, quod in nulla sui parte sit in fide erronea, vel hæretica. Et solum primo modo censuit facultas esse approbatam Sancti Thomæ doctrinam, non secundo, vel tertio, non obstante canonizatione doctoris, cui ex hoc nihil detrahitur, sicut nec aliis sanctis, et canonizatis doctoribus, quorum doctrina non in omni sua parte approbata est. Sic refert Dermicius Thaddæus in sua Nitela, pag. 45. Non potuit tunc videre facultas omnes approbationes, quæ a Sede Apostolica emanarunt circa doctrinam D. Thomæ. Et ideo non mirum, quod sic pronuntiaverit de illa.

Pro clariori ergo hujus intelligentia, distinguemus sex differentias, seu gradus approbandi doctrinam aliquam, vel doctorem ab Ecclesia. Primus et infimus gradus est, quando ad hoc solum approbatur aliquis, vel ejus scripta, ut evulgari possint, et in lucem emitti, in quo tamen, licet Ecclesia ipsa evulgari, et imprimi illa curet, et permittat, non tamen illa approbatio est auctoritativa doctrinæ, nec speciali modo ab Ecclesia commendatur, sed generali modo permittitur, quo cæteri libri in judice non comprehensi, nec ab Ecclesia prohibiti, potiusque pertinent ad permissionem, quam ad auctorizationem positivam; et tamen requiritur ad hoc quod talia scripta non habeant errorem, de quo Ecclesiæ constet, nam si constaret non permetteret evulgari librum.

Secunda approbatio est eorum doctorum, qui classici, vel solemnes habentur, et auctoritatem habent in scholis, et in sententiis quas defendunt, et sic permittuntur ab Ecclesia. Sunt autem adhuc in duplici differentia. Nam quidam ipsa consuetudine, et usu redduntur famosi in scholis, et universitatibus catholicis et vocantur auctores classici, quorum testimonio frequenter uti-

mur præsertim si a multo tempore eorum doctrinæ, et sententiæ probatæ sint; plures eorum, tam in theologia quam in jure affert pater Azor, lib. II, cap. XIV, tomo I, quia valde deserviunt ad pondus probabilitatis in sententiis, præsertim circa rem moralem. Alii sunt, qui ultra hanc auctoritatem etiam in approbatis universitatibus cathedras speciales habent pro eorum doctrina legenda sicut Scotus, Durandus, Gabriel, et alii similes, qui sunt capita, et duces specialis doctrinæ, videnturque proprie vocari posse doctores solemnes; quamquam aliqui apud Sylvestrum V, lex numero XIII, in fine » videantur appellari doctores solemnes, illi qui ab Ecclesia specialiter sunt approbati. Hæc ergo auctoritas, licet magna sit, non tamen semper fit speciali decreto, aut judicio Sedis Apostolicæ circa doctrinam talium doctorum, licet approbetur ab Apostolica Sede erectio, et fundatio talium universitatum, quæ dictas cathedras pro illorum doctorum explicanda doctrina dotatas habent, sicut nostræ Complutensis academix creatio cum suis cathedris ex commissione Alexandri VI, facta est ab eminentissimo cardinali, et integerrimo Præsule Fr. Francisco de Cisneros qui cathedras instituit pro D. Thoma, Scoto, et Nominalibus in theologia. Dicitur etiam a Benedicto XIII, jussum fuisse erigi lectionem Scoti in Salmanticensi academia, quæ legeretur in conventu S. Francisci, de quo videndus M. Bannez. 2-2, q. I, art. VII, dub. II, quamquam illius Benedicti qui in schismate fuit Pontifex, et nunquam juri suo cedere voluit, non immerito nutet auctoritas.

Tertio, hoc est approbatio Ecclesiæ, et Apostolicæ Sedis, quando aliquis in doctorem Ecclesiæ eligitur, aut inter Ecclesiæ patres habetur, quorum scripta non solum in scholis,

sed in ipsis Ecclesiis, et ecclesiasticis officiis solemniter leguntur. Sic plura patrum opuscula recepta sunt, et approbata a Gelasio Papa in Concilio Romano, et habetur in cap. Sancta Romana, distinctione xv, distinguuntur enim probata patrum scripta ab apocryphis, id est, latentibus, seu occultis, ut interpretatur archidiaconus in principio distinctionis xvi, quia scilicet non in Ecclesia, sed remote, et secreto sunt legenda tamquam incerta, quod Sylvester ubi supra intelligit de apocryphis ex dubietate veritatis, de quibus loquitur textus citatus, in capit. Sancta Romana, de quibus quisque liber est ad credendum, vel non credendum. Approbata ergo patrum opuscula hunc altiorem gradum videntur habere, ut scilicet publice in Ecclesia legantur, et in ecclesiasticis officiis, quod apocryphis non conceditur. Cæterum doctores Ecclesiæ, qui specialiter hoc titulo insigniti sunt, eximium aliquem, speciale gradum in Ecclesia habent, quod non omnibus etiam ex patribus attribuitur. Et quidem ad recensendum aliquem inter patres Ecclesiæ, videtur antiquitas cum doctrinæ approbatione, seu acceptatione sufficere; ad hoc autem ipse decursus annorum, et usus ipse acceptandi doctrinam illam sufficit. Ad hoc autem ut aliquis speciali doctoris Ecclesiæ titulo insigniatur, non sufficit approbatio ipsa annorum decursu facta, quæ potius est acceptatio doctrinæ, quam auctoritativa approbatio; sed requiritur speciale iudicium Ecclesiæ, et determinatio ipsius talem honorem præbens, tamquam eximium quemdam doctorem inter alios tali titulo insigniens. Nam licet titulus doctoris Ecclesiæ multis ex sanctis patribus sit attributus, ut in quinta Synodo generali collatione tertia dicitur: « Super hæc sequimur per omnia sanctos patres,

et Ecclesiæ doctores Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, etc. » tamen Bonifacius viii, præcipuos Ecclesiæ doctores assignavit in c. Gloriosus, de reliquiis, et veneratione sanctorum, in vi. Pius v S. Thomam. Aquinatem eo titulo insignivit in constitutione, quæ incipit: Mirabilis Deus, et Sixtus v Sanctum Bonaventuram in constitutione quæ incipit: Triumphantis Hierusalem.

Quod vero munus, quæve prærogativa sit doctoris Ecclesiæ? Non facile explicatur. Bonifacius viii, in citato textu miris eos laudibus extollit, utpote: « Qui tamquam lucernæ ardentes super candelabrum in domo Domini positæ totius corpus Ecclesiæ tamquam sidus irradiant matutinum, eorumque facunda facundia, cœlestis irrigui gratia influente Scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat. » Hæc aliaque similia de eorum doctrinæ laude, et commendatione Pontifex edicit. Luculentius tamen Sixtus v, in citata constitutione, quæ incipit: Triumphantis Hierusalem, in decreto quo Sanctum Bonaventuram inter doctores Ecclesiæ connumerari mandat eorum videtur prærogativas obitet explicare. Decretum tale est. « Auctoritate apostolica tenore præsentium ipsum Sanctum Bonaventuram inter præcipuos, ac primarios, qui theologicæ facultatis magisterio excelluerunt habendum, ac venerandum esse decernimus, et declaramus. » De ejus vero libris, et operibus subdit: « Ut aliorum Ecclesiæ doctorum qui eximii sunt, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exercita-

tionibus citari, proferri, atque cum res postulaverit adhiberi volumus, et decernimus. » Ita Pontifex. Et uo patet ad munus doctoris Ecclesiæ pertinere, ut ipse inter primarios, et præcipuos magistros habeatur, ejus vero opera publice, et privatim possint auctoritative citari, et proferri. De quatuor autem Ecclesiæ doctoribus Augustino, Ambrosio, Hieronymo, et Gregorio, non aliter Bonifacius viii, decrevit in specialibus, et præcipuos Ecclesiæ doctores eos adlegere, quam ordinando, ut ipsorum festa sub duplici officio celebrarentur, ut constat ex citato c. Gloriosus. Et Pius v, de D. Thomam celebrari præcipit, sicut de ipsis quatuor Ecclesiæ doctoribus præceperat Bonifacius, ut patet in citata constitutione: Mirabilis Deus. Et hoc fuisse sufficiens ut in sanctorum doctorum Ecclesiæ D. Thomas adlegeretur, declarant verba Sixti v, qui exemplo Pii promotus fuit ad adscribendum S. Bonaventuram inter Ecclesiæ doctores. « Sane, inquit, ad id quoque non mediocriter excitati sumus exemplo sanctæ memoriæ Pii Papæ v, prædecessoris nostri de christiana republica optime meriti, et quem ut parentem adhuc reveremur, et colligimus. Is enim religiosa pietate et singulari devotione permotus qua afficiebatur erga S. Thomam de Aquino ordinis sui deus, et catholicæ Ecclesiæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem sanctum ob ejus præstantissima in Ecclesiam catholicam merita, congruis honoribus exornare, præter alia hoc jussit, et decrevit, ut illius festus dies quotannis duplicis officii ritu ad instar sanctorum quatuor Ecclesiæ doctorum perpetuo celebraretur, quod et S. Bonaventuræ doctori eximio tribui debere æquum profecto existimamus, etc. »

Ex his patet, titulum doctoris Ecclesiæ requirere iudicium, decre-

tumque Sedis Apostolicæ circa personam, et doctrinam, ideoque singulari prærogativa super alios doctores sublimantur, qui nec iudicio Sedis Apostolicæ sunt approbati, nec eorum doctrina auctoritatem habet a sede Apostolica, licet in approbatis universitatibus cathedras habeant, et famosiores habeantur in communi approbatione doctorum.

Quarto modo est adhuc major doctrinæ approbatio, quando videlicet speciali modo iudicat, et approbat, vel sequitur Ecclesia talem doctrinam, ut si dicat se probare, vel sequi talem doctrinam, vel si affirmet Ecclesia talem doctrinam esse sine errore, esse ex infusione cœlesti, et alia similia, quæ sine dubio specialem veritatem, certitudinem, aut probabilitatem in tali doctrina requirunt. Sic Ecclesia Augustini doctrinam se sequi, et approbare fatetur in epistola Joannis ii, ad illustres viros Abienum senatorem et alios, quam refert, et a calumniis vindicat cardinalis Baronius anno Christi 534, num. xxiv. In ea de Sancti Augustini doctrina sic loquitur: « Item S. Augustinus cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur et probat Ecclesia. » Hormisdas etiam Pontifex in epistola ad Possessorem episcopum in fine, ubi inquit: « Quod ea quæ sentit Romana Ecclesia de gratia, et libero arbitrio ex libris S. Augustini maxime ad Hilarium et Prosperum cognosci possunt. » Et Sanctus Cœlestinus Papa in epistola ad episcopos Galliæ de Augustino loquens inquit: « Quod nunquam illum sinistra suspitionis saltem rumor aspersit. » Quod decretum referens S. Prosper in fine libri contra Collatorem dicit: « Quod Cœlestinus librorum Augustini pietate laudata quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifes-

tavit eloquio. » Peculiariter ergo auctoritas Augustini libris, et doctrinæ, præsertim in his, quæ de gratia Dei scripsit ab Apostolica Sede data est, tum laudando pietatem librorum, tum a sinistra suspitionis tumore liberam ejus doctrinam declarando, tum a Romana Ecclesia ejus doctrinam approbari, et sequi affirmando. Similia de doctrina S. Thomæ sequenti articulo referemus.

Dices: Hoc quod Sedes Apostolica de Augustino dicit, et sequenti articulo de D. Thoma referemus similiter de aliis sanctis patribus affirmat: non ergo specialis in hoc approbatio, aut auctoritas illis tribuitur inter alios Ecclesiæ doctores. Antecedens probatur, nam in quinta Synodo generali, ut supra retulimus recipientur per omnia sancti patres et doctores Ecclesiæ Hilarius, Athanasius, Basilius, etc. « Et suscipimus, inquit, omnia quæ de recta fide et condemnatione hæreticorum exposuerunt. » Et similia de venerabilibus patribus habentur in Concilio Lateranensi sub Martino I, consultatione v. Item in Concilio Romano II, sub Zacharia Papa ab universo Concilio Clemens quidam hæreticus damnatus est: « Eo quod sacros canones spreverit atque expositiones sanctorum patrum, Ambrosii, Augustini et cæterorum respuit dicta sanctorum. » Et in Concilio Valentino sub Leone IV, cap. I: « Indubitanter, inquit, doctoribus pie, et recte tractantibus verbum veritatis, ipsisque sacræ Scripturæ lucidissimis expositoribus, id est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino cæterisque in catholica pietate quiescentibus reverenter auditum, et obtemperanter intellectum submittimus, et quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur. » Respondetur aliud esse loqui de tota patrum or-

thodoxorum collectione et aliud de singularibus personis. Tota patrum collectio longe excellit quamcumque particularis personæ approbationem quantumvis magnæ et excellentis, et in his quæ ad condemnationem hæresis spectant, et ad fidei declarationem sanctorum patrum dicta indubitam fidem faciunt, et insanissimus est qui eorum expositiones generaliter spernit, aut eis reverenter animum non submittit. Cæterum in præsentem loquimur approbatione aliqujus s. doctoris præ alio, sic enim non est dubium sanctos quatuor Ecclesiæ doctores specialiori modo fuisse ab Ecclesia approbatos, eisque aggregatos S. Thomam et S. Bonaventuram, adhuc autem specialiori modo Augustinum (cujus scripta sic sunt laudata a Sede Apostolica, et recepta) fuisse approbatum et in auctoritatem receptum.

Quinto loco, fit approbatio ab Ecclesia, non tam circa aliquem doctorem, vel doctrinam generaliter, quam circa aliquam materiam, seu opinionem determinatam, quando scilicet Ecclesia determinat aliquam opinionem esse vel probabilior, vel certior. Exemplum est in Clementina unica de summa Trinitate, ubi: « Optinio illa, quæ affirmat parvulis infundi in baptismo gratiam, et virtutes et similiter adultis tamquam probabilior, et dictis sanctorum, et modernorum doctorum theologiæ magis consona eligitur sacro approbante Concilio. » Ecce singularis approbatio illius opinionis non quidem definiendo illam de fide, sed ut probabilior eligendo. Similiter in c. Cum Marte, de celebratione missarum eligitur ut probabilior opinio: « Quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut eluceat proprietas Sacramenti. » Stat ergo

ab Apostolica Sede approbari aliquam opinionem, seu doctrinam in determinata materia circa definitionem.

Sexto et ultimo, est approbatio definitiva Ecclesiæ, cum videlicet aliquam doctrinam recipit, et definit tamquam de fide. Sic fuit approbata epistola S. Leonis Papæ ad Flavianum, de qua dicitur in cap. Sancta Romana. Quod ejus textum aut tota unum si quis idiota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit. Similiter ad Concilium Arausicum II. quædam capitula ex doctrina Augustini transmisit S. Leo definienda: sic in aliis Conciliis epistolæ aliquæ receptæ sunt a tota Synodo, ut Agathonis Papæ in VI Synodo generali, et Sophronii in eadem, Cyrilli anathematismi in Concilio Ephesino, et alia similia occurrunt.

#### ARTICULUS II.

QUOD GENUS APPROBATIONIS DOCTRINÆ D. THOMÆ AB ECCLESIA TRIBUTUM SIT?

Certum est non esse approbatam doctrinam Div. Thomæ generaliter sumptam istis duobus ultimis modis approbandi in præcedenti articulo relatis, nec enim singulæ opiniones Div. Thomæ sigillatim discussæ sunt ab Ecclesia, et definitæ, aut ut probabiliores reputatæ, sed judicium Ecclesiæ datum est generaliter circa totam doctrinam.

In secundo modo approbationis, tertio et quarto, constat omnes illos ab Ecclesia attributos esse Div. Thomæ. Nam de illo secundo modo approbationis supervacaneum est quæerere cum nulla sit universitas catholica ubi non legatur publice S. Thomæ doctrina. Sed et Urbanus V, anno 1370 cum sacrum ejus corpus

transferendum curasset Tolosam ubi nunc requiescit, in universitate Tolosana ejus doctrinam legi mandavit, ut patet in ultimis verbis ipsius bullæ: « Volumus insuper et tenere præsentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam tamquam veridicam, et catholicam sectemini, eandemque studeatis totis viribus ampliare. » Hoc enim licet Pontifex præcipiat particulari cuidam universitati, ejus tamen ratio ad omnes extenditur, quia si ut veridica, et catholica jubetur hæc doctrina sectari ab una universitate, justum quoque et rectum est, quod omnes universitates sectentur illam, quæ ut veridica, et catholica proponitur; ad hoc enim eriguntur: sicque omnes pontificium præceptum pro universitate Tolosana, sectentur. Est ergo D. Thomas inter solemnes doctores reputandus ad hoc, ut ejus doctrina in scholis legatur non quomodocumque sed ex speciali ordinatione apostolica. Refert quidem facultas Parisiensis præcedenti articulo allegata etiam doctrinam Magistri sententiarum aliquando ex mandato apostolico legi solitam in scholis. Sed non potuimus tale mandatum videre, ipso tamen usu, et consuetudine omnium scholarum constat Magistrum sententiarum inter solemnissimos doctores haberi.

Quod attinet ad tertium modum approbationis, dicimus S. Thomam esse ab Ecclesia, et Sede Apostolica in numerum doctorum Ecclesiæ cooptatum, et nominatum ad instar quatuor præcipuorum doctorum Ecclesiæ Ambrosii, Augustini, Hieronymi, et Gregorii. Hoc constat ex speciali constitutione Pii V, quæ incipit: Mirabilis Deus, anno 1567 eodem stylo, et ritu, quo Bonifacius VIII, in capite Gloriosus, de reliquiis et veneratione sanctorum in sexto, illos quatuor sanctos patres in doc-